



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

§. 1. Quid sit transactio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

lisset tantum exceptio, *d. l. jurigentium, §. 4.* Ex pacto non nudo oritur & obligatio & actio utroque jure, *d. l. 7. & toto tit. D. de praescriptis verbis.* Ratio, cur ex nudo pacto jure civili non detur actio, est, quia quando quis nudo pacto promittit aliquid, eo jure intelligitur leviter & inconsiderate promississe; & ideo jus illud non cogit eam stare promissis, sed hoc ejus liberalitati & honestati relinquit. Deinde, quia si ex nudo pacto daretur actio, infinitae inde lites facile nascerentur, cum nihil sit in communi vita frequentius, quam civiles illae nudis pactis promissiones.

5. Caeterum an jure Pontificio ex nudo pacto oriatur obligatio & actio: admodum controversum inter doctores. Communior & receptior sententia est, oriri, *ex c. 1. h. t.* Nam, quod ibi vult Pontifex, ut inita pacta suam obtineant firmitatem, illud videtur etiam de nudis pactis accipiendum: & *ex c. 3. eod.* ubi jubet Pont. quae promittuntur, opere compleri. Ratio differentiae, quia grave est fidem fallere, cum inter simplicem promissionem & jusjurandum apud Deum nihil intersit, *can. Juramenti, xx. l. 9. §. 5.* Jus autem Pontificium maxime periculum animae spectat: non ita civile, quod magis inspicit externam & politicam, quam internam justitiam. Unde etiam tollat quaedam usuras. *l. Eos qui Cod. de usuris; & concubinatum toto t. D. de concubinis.*

§ III.

Quis, cui, & de quibus possit pacisci.

1. *Pacisci omnes possunt, qui consentire.*
2. *Alieri nemo paciscitur.*
3. *De omnibus, ad rem familiarem spectantibus pacisci licet.*
4. *Non valet pactum, bonis moribus aut juri contrarium.*

Quandoquidem pacta fiant consensu, *l. 1. D. eodem* live expresso live tacito, pacisci omnes possunt, qui consentire: & e contra, pacisci non possunt, qui nequeunt consentire, ut infans, pupillus infantiae proximus, furiosus extra lucida intervalla, mente captus, ebrius, prodigus, cui bonis interdictum est, nisi paciscendo faciat conditionem suam meliorem, ut si paciscatur, ne à se petatur, & similes.

2. Unusquisque autem sibi rectè paciscitur, non alteri, nisi eius iuri subiectus sit, *l. Si decem §. si pactum sim. D. eod.*

3. Deque omnibus rebus pacisci licet, quae ad privatum paciscentium jus spectant: de publicis non item, *l. jurigentium, §. si paciscatur. l. 4. cum seqq. D. eod.*

4. Cavendum verò, ne, quod in pactum deducitur, bonis moribus aut juri adversetur. *l. ap. fin. h. t.* Hinc non valet pactum, ne dolus praestetur, ne furti vel injuriarum agi possit, si furtum vel injuria fiat, *d. l. 7. §. 15. & l. Si unus 27. §. 4. D. eod.* Sicut nec pactum valet de rebus spiritualibus, vel quae spiritualibus sunt annexae, si non sit gratuitum: veluti si quis, re aliquà temporali datà, paciscitur cum alio, ut ab eo beneficium aliquod Ecclesiasticum obtineat. *c. Cum pridem 4. c. Cum Clerici 6. c. ult. h. t.* Sed neque momenti alicujus est pactum licet beneficium pro beneficio detur, *c. Quasitum inf. de rerum permutat.* quia omne hujusmodi pactum est simoniacum, *d. c. Cum pridem*: nisi quis paciscatur, ut beneficium vel pensionem pro beneficio accipiat, sub beneplacito superioris. Similiter non potest quis pacisci, ut post mortem alicujus succedat ei in beneficio, *c. Accepimus 5. h. t.*

TITULUS XXXVI.

De Transactionibus.

§. I.

Quid sit Transactio.

1. *Transactio & generaliter & specialiter sumitur.*
2. *Definitio transactionis specialiter sumpta explicata.*

Transactio est species pacti generaliter sumpta; ut vel hinc constat ordinis ratio.

1. Sumitur quidem etiam Transactio subinde late pro omni actu, quo ab obligatione receditur, & negotium aliquod inter aliquos componitur, si vel litis causà, si vel non, *c. 2. h. t.* ubi sit Transactio super decimis extra litem: & ita etiam sumitur verbum, Transigere in *l. 1. §. 1. De pactis.* At verò hic specialiter sumitur.

N 3

2. Pro-

2. Prout est rei dubiæ & litis incertiæ non gratuita remissio, l. 1. *D. eod.*

Dicitur, rei dubiæ, ut distinguatur à Pacto, quod est de re certa; & quia de re certa & indubitata, v. g. de re iudicata, si appellatum non sit transactio regulariter est nulla, l. *Postrem. 11. D. eod. l. Si causa 32. C. eod. l. Eleganter § post rem D. De condit. indebiti*, quamvis res iudicata pacto remitti possit, d. l. *Si causa C. eod.*

Additur, & litis incertiæ; quia Transactio propriè accepta non fit de qualibet re dubia, sed de re dubia propter litem susceptam aut suscipiendam, seu quæ timetur, cap. *Constitutus 4. Et alii, h. t. d. l. Eleganter §. post rem Et l. Fratris Cod. eod.* etiam si alias in se sit certa, quia nihilominus dicitur dubia, propter litis eventum incertum, l. *in summa in princ. D. de condit. indebiti.*

Additur denique, non gratuita; quia nullo dato, vel retento, vel promisso, aut remisso, non procedit transactio; in eoque differt à pacto specialiter sumpto. Et ideo super spiritualibus, & iis, quæ spiritualibus annexa sunt v. g. super beneficio Ecclesiastico, vel jure patronatus, non potest fieri transactio, cap. *4. 7. Et cap. Præterea 9. h. t.* si, quod datur, vel remittitur aut promittitur, si quid temporalis, quia id incidit in crimen Simoniam.

§. II.

Quis transigere possit.

1. *Transigere possunt, qui consentire, Et sana mente sunt.*
2. *Quatenus procurator transigere possit.*
3. *Quatenus tutor Et procurator.*
4. *Quatenus Prælati Ecclesia.*

1. **T**ransigere potest, quicumque pacisci, id est, qui consentire, & mente sanus est, quamvis æger sit corpore, l. *Sanum Cod. eod.* atque ita rectè etiam transigit mutus, surdus: similiter pupillus major infante, ac minor sine tutoris vel curatoris auctoritate, modò rem suam meliorem faciat: quamvis verius sit, locum fore restitutioni, si minor postmodum se læsum tali transactione, etiam juratâ, intra legitima tempora probaverit; præterquam si transegerit super injuriis aut morte patris, & modo ex tali transactione manifestum dedecus minori aut familiæ non inferatur, vide

Treutler. *Select. disput. volum. 1. disput. 7. Thes. 2. ad lit. B.*

2. Nec solum dominus, sed etiam procurator transigere potest, si modò ad transigendum speciale habeat mandatum, vel sit procurator cum administratione libera, c. *Quia ad agendum verus procurator eod. in 6. l. Procurator cui generaliter 58. D. de procuratoribus*; aut in rem suam datus sit, l. *jur. jurandum §. fin. cum l. seq. D. de iurejurando*: quia talis alienare potest, ac proinde etiam transigere, d. l. *Procurator cui D. De procurat. alias verò transigere acquirit, etiam si esset omnium bonorum procurator constitutus, l. Mandatum generali 60. D. de procurat.* quia talis alienare acquirit, & transigere est alienare, l. *Procurator interitum 63. D. eod.* licet contrarium nonnulli sentiant.

3. Tutores verò & curatores, quamvis transigere possint, non possunt tamen transigendo donare vel alienare res, alienari prohibitas, l. *4. Cod. De prædiis minorum, l. Nulli Cod. h. t.* Idemque in patre, bona liberorum administrante, obtinere verius est, l. *Pupillorum §. si pater D. de rebus eorum*, & c. atque in administratore civitatis, qui similiter transigere possit super jure dubio, tamen transigendo alienare vel donare, seu, quod idem est, rem liquidam sine superioris aut publico omnium, aut majoris partis civium consensu, remittere prohibetur, quia remissio certi juris in donationem incidit, l. *Si quis delegaverit, D. de novat.*

4. Ex eo tamen, quòd transigere sit alienam non potest Prælati Ecclesiæ, v. g. Episcopus, Abbas, & similes, de rebus Ecclesiæ suæ, sine consensu Capituli aut superioris transigere, c. *3. c. Veniens 8. h. t.* etiam si liberam earum habeat administrationem, c. *Cum nobis in fine sup. de elect.* quia Prælati habet liberam potestatem reidumtaxat benè gerendæ, non autem perdendæ vel dissipandæ, c. *Episcopus x. q. 2.* Et ideo ubi agitur de re, in perpetuum præjudicium Ecclesiæ vergente, præter consensum Capituli, requiritur consensus superioris c. *cetero 5. Et d. c. Veniens h. t.* In sui tamen solius præjudicium transigere potest, ut scilicet transactio valeat, quamdiu Ecclesiam restitutus est, non ulterius, d. c. *De cetero.*